



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

III. Qui iurant, compellendi sunt iuramentum seruare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

Sed quia compositio eorum huic fuit damnsa, de iuramento violato poenitentiam recipient, & prælibatam ecclesiam prædicto clero restituant.

ANNO  
CREANTI  
1179  
ANNUS  
CHRISTIC A P. III. *Idem Santonensi & \*Bilonensi episcopis.*

De rescripto quod nobis est præsentatum, manifeste nobis innotuit, R. quondam \*Treuorensem abbatem cum VV. super summa septem millium solidorum taliter conuenisse, &c. Et infra: Super hoc quidem prædictus abbas de monachis obsides quosdam dedit, qui de obseruanda conuentione iuramentum dederunt, ut si ipsi dececerint, alii monachi loco eorum in ostagio reuerterentur. Insuper si dicti monachi fidem non seruarent, abbas dedit eidem VV. I. & eius vxorem fideiussores: qui similiter fidem præstitisse dicuntur. Si ita est, tam abbatem & monachos qui iurauerunt, quam I. & eius vxorem studiose monere curetis; ut sicut iurauerint, eamdem coniurationem faciant adimpleri. Si vero commonitionem vestram facere neglexerint, eidem abbati & monachis ingressum ecclesiam interdicatis, & in terra præfati I. & vxoris eius usque ad dignam satisfactionem inhibeatis diuina officia celebrari.

C A P. IV. *Idem Norwicensi episcopo.*

Tua nos fraternitas duxit consulendos, cui standum sit iuramento, cum clericos quidam religiosi iurisurandi religione constringunt ad maiorem pensionem soluendam, vel præstandum aliquid nomine beneficii, præter solitam pensionem. Cum autem instituuntur ab episcopis, iurant quod antiquam pensionem & solitam non augebunt. Tuxè igitur consultationi breuiter respondemus, quod posterius iuramentum, quod ratione & Laterani Concilii auctoritate iuuatur, primo præjudicat, quod de cupiditate processit. Iustum est autem, ut clerici sic perplexi, pro periurio quod vitare non possunt, ab ecclesiis perpetuo excludantur.

## C A P. V.

*Idem Londonensi & VVigornensi episcopis.*

Querelam R. clericis Lincolnensis ecclesiae accepimus,  
quod